Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Etsi de argumento huius commentationis non pauci iam viri docti scripserunt, *) tamen non inutile me facturum esse existimavi, si hoc loco ita eandem rem denuo tractandam susciperem, ut, quae de ea adhuc investigata atque explorata essent, maturioris iuventutis in usum summatim et brevi in conspectu proponerem. Neque enim quam magni momenti ea res, tam inter eruditos homines pervulgata eius notitia est, et in multis eorum librorum, qui in adulescentium Romanae historiae studiosorum manibus sunt, aut nulla omnino, aut obiter strictimque eius mentio fit, aut vana de ea falsaque afferuntur. In explananda autem institutione alimentaria me Henzenii potissimum secutum esse vestigia, nemo mirabitur, qui cognitum habebit, quanto maiore ille, quam ceteri, diligentia, subtilitate, doctrina in ea exquirenda et perscrutanda elaboraverit.

Ut ad rem huic disputationi propositam transitus fiat, praemittere libet quaedam in vulgus nota de liberalitate publica ad levandam hominum pauperum inopiam iam liberae rei publicae tempore adhibita. Constat autem, iam post perlatam a C. Sempronio Graccho anno a. Ch. n. 123 legem frumentariam plebi Romanae frumentum pretio multo minore quam usitatum esset publice venisse, Clodio deinde auctore pauperioribus civibus frumenti ad victum necessarii partem singulis mensibus gratis datam esse. Qua institutione factum est, ut magna ex tota Italia hominum multitudo Romam conflueret ingensque eorum qui publicis sumptibus frumentum acciperent numerus exsisteret. C. Julius Caesar autem, qui

*) Praecipue nominandi sunt: Muratorius (in Symbol. litterar. Florent. Vol. V. a. 1749), F. A. Wolfius („Von einer milden Stiftung Trajans." Berlin 1808), Pauflerus („Quaestio antiquaria de pueris ac puellis alimentariis" Specim. I—III, Dresd. 1809—1810), de Lama („Tavola alimentaria Veleiate". Parma 1819), Franckius („Beiträge zur Geschichte Trajans", Gustrow 1837, p. 377 sqq.), Henzenius („Tabula alimentaria Baebiana" in Annal. Inst. Archaeol. vol. XVI, 1844, p. 1—111 — separatim typis descripta est dissertatio Romae 1845, — et „Additamenti e correzioni all articolo sugli alim. pubbl. dei Romani, ibid. Vol. XXI, 1849, p. 220—239).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eam institutionem Romanae rei publicae pestiferam esse intellegebat, numerum eorum qui publice alebantur — erant autem trecenta et viginti millia — amplius dimidia parte deminuit, post Caesarem autem paulatim numerus ab eo constitutus denuo crevit et aeque magnus atque antea fuerat evasit; Augustus denique numerum istum ad eum modum revocavit, ut ne plus ducenta millia hominum frumentum gratis acciperent. Hae autem frumentariae largitiones per totum illud tempus continuatae sunt, quo res publica Romana sub imperatorum dominatione fuit, et inde ab Augusti tempore ita res instituta fuit, ut quattuor peculiaribus magistratibus, quibus curatoribus sive praefectis frumenti dandi nomen erat, eius rei administrandae negotium mandari soleret, a quibus ii, qui ad frumentationes admissi erant, quorum nomina in tabula aenea solebant incidi, singulis mensibus tesseram frumentariam accipiebant. Praeter has perpetuas statosque frumenti distributiones iam liberae rei publicae temporibus mos erat, ut magistratus et qui magistratum ambirent, ut plebis sibi favorem et suffragia conciliarent, suis sumptibus plebi frumentum aut pecuniam largirentur. Praecipue autem imperatores oblata occasione aliqua, ut die natali suo, vel victoria parta, vel in auspicando consulatu, vel ut ab insectatione flagitii averterent famam,[1]) frumentum, vel oleum, vel sal, saepissime pecuniam militibus donativorum, congiariorum nomine plebi largiri solebant. Hoc autem largitionum genus, ut frumentationes certae et statae, eo spectabat, ut esurienti ac rerum novarum semper avidae plebi satisfieret, iisque effectum est, ut etiam flagitiosissimorum principum dominationem Romana plebs aequo animo ferre non recusaret. Ceterum soli urbis Romae incolae ad congiaria et frumentationes admittebantur, qui ea, quae ex terris Romanorum imperio subiectis redirent, ad se quoque pertinere seque partem eorum iure sibi vindicare posse arbitrabantur.

Longe alia ratio est eius munificentiae, qua inde ab exitu primi post Chr. n. saeculi non Romae tantum, sed etiam per Italiae civitates pueris ac puellis parentum inopum publice alimenta dari solebant: quae institutio qualis fuerit quoque spectaverit, paucis exponere nobis proposuimus.

Iam Nervam imperatorem Aurelius Victor[2]) pueris ac puellis alimenta dedisse narrat. Etsi praeter hunc nullus rerum scriptor reperitur, qui eiusmodi Nervae munificentiae mentionem faciat, et Dio Cassius, vel potius Xiphilinus, qui eius de historia Romana libros excerpsit, cum alia Nervae in plebem beneficia commemoret,[3]) hanc rem non attingit, tamen quin id, quod Aurelius Victor narrat, verum sit, dubitari non potest. Nam neque is indignus fide auctor est, et quod de Nervae beneficentia memoriae prodit, confirmatur nummo, qui tertio eius consulatu[4]) notatus est, in cuius aversa parta imperator repraesentatur in sella curuli sedens et puero puellaeque manum porrigens, adiuncta margini inscriptione TVTELA ITALIAE, quem nummum ad alimenta pueris ac puellis per Italiae municipia a Nerva imperatore concessa referendum esse, omnes fere, qui de hac re scripsere, consentiunt. Sed qua ratione Nerva rem alimentariam instituerit et quam late eam extenderit, nescimus; hoc constare videtur, eum excogitasse rem exsequendaeque eius initium fecisse. Nerva primo iam anni 98 mense mortuus est, Traianus autem, qui ei in imperium successit, non solum per-

[1]) Lips. ad Plin. Paneg. c. 28.

[2]) Epit. XII, 5, „Pueros puellasque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiae oppida ali iussit."

[3]) l. LXVIII, 2. — [4]) a. 97 p. Ch.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

secutus est eius in pueros puellasque liberalitatem, sed ita ei rei operam dedit, ut iam ab antiquis scriptoribus institutio alimentaria ei tamquam auctori tribuatur [5]) eaque hodie quoque Traiani institutio nominari soleat. Sed ne huius quidem imperatoris in pueros puellasque munificentiae frequens apud antiquos scriptores et accurata mentio, et si sola scriptorum fide niteremur, qua ratione Traianus rem instituerit quamque ea late patuerit, parum cognitum haberemus. Nam, quod maxime dolendum est, Traiani, quem non immerito imperatorum Romanorum maximum dixeris, magis quam ceterorum omnium historia scriptorum fide atque auctoritate destituta est. Neque enim quos Prisciano teste [6]) ipse scripsit commentarii, nec scripta Marii Maximi, Fabii Marcellini, Aurelii Veri, Statii Valentis, quos Lampridius [7]) dicit Traiani vitam et res gestas scripsisse, aetatem tulerunt, et ne Dionis quidem Cassii historiae ea pars, quae est de Traiani imperio, integra, sed excerpta a Xiphilino ad nostram aetatem pervenit; Tacitus, qui se Traiani historiam scripturum esse promisit, [8]) desiderium tantum operis sui posteritati reliquit; Plinii autem Panegyricus, quem mense septembri anni 100 p. Ch. n. in senatu dixit, nisi de rebus usque ad id tempus ab imperatore gestis consulere non possumus. Sed prospera quadam fortuna contigit, ut certe ex parte aliqua ea, quae propter scriptorum librorum inopiam ad accuratam rerum a Traiano gestarum cognitionem desideramus, monumentorum titulis et nummorum typis inscriptionibusque nobis suppeditentur. [9]) Quod cum de universa Traiani historia dici possit, tum ea praecipue in re valet, quam nobis tractandam proposuimus. Nam quod Dio Cassius [10]) narrat, Traianum urbem ingressum — duodevicesimo autem mense post Nervae mortem eum Romam venisse constat — eo rei publicae consuluisse, quod etiam Italiae civitatibus multa largitus sit ad liberos alendos atque educandos, hoc unum fere est, quod de Traiani in Italiae civitatum pueros puellasque beneficentia apud veteres scriptores legimus. Sed quod Dio refert, multis nummis compluribusque inscriptionibus in aere lapidibusque incisis confirmatur. Exstant enim nummi veteres, in quibus Traianus exhibetur manum extendens modo versus mulierem cum binis infantibus, quorum unum in ulnis gestat, modo versus duas parvas figuras, adiuncta inscriptione ALIM. ITALIAE S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI S. C. [11]) Eodem pertinent alii nummi, in quibus idem repraesentatur relevans Italiam ad pedes suos iacentem, inter eos infantes duo, qui manus tendunt, cum inscriptione REST. ITAL. [12]) Huc accedunt inscriptiones, quibus et ipsis ea res confirmatur, ut inscriptio Auximi [13]) reperta haec:

---

[5]) Jul. Capitolin. Pertin. c. 9. — [6]) VI, p. 682 Putsch. — [7]) Alex. Sever. c. 48.

[8]) Hist. I, 1. „Quodsi vita suppeditet, principatum D. Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui: rara temporum felicitate, ubi sentire, quae velis, et quae sentias, dicere licet."

[9]) Propter magnam inscriptionum, quos Traianus in aedificiis faciendas curaverat, multitudinem Constantinus magnus eum herbam parietariam appellare solebat. Aurel. Vict. Epit. 41.

[10]) l. LXVIII, 5: *Εἰς δὲ τὴν, Ῥώμην εἰσελθὼν πολλὰ ἐποίει πρός τε διόρθωσιν τῶν κοινῶν καὶ πρὸς χάριν τῶν ἀγαθῶν, ἐκείνων τε διαφερόντως ἐπιμελούμενος, ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι, καὶ τούτους εὐεργετῶν.*

[11]) Eckhel. Doctr. Num. VI, p. 425. Cohen, description des monnaies frappées sous l'empire Romain II, Traian n. 13, 14, 299—304. cf. Henzen. l. l. p. 12 sq.

[12]) Cohen. l. l. 373. 374.

[13]) Auximum agri Picentini oppidum, hodie Osimo appellatum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

imp. caesari DIVI. NERVAE. F. NERVAE. traiano ang. germanico dacicO. PONTIFICI MAximo. trib. pot. XII. iMP, VI. COS. V. p. p. ob muNIFICENTIAM. SVAM. SVBOLEMQ. ITALIAE .... IT. MVNICIPII Auximatium decuriones et plebs (?); [14])

item Amerinorum titulus „Imp. Nervae Traian. Aug. Germ. Pont. Max. trib. potest. Cos. III. p. p. nomine puerorum puellarumque Ulpianorum ex S. C.“ positus. Adde anaglyphum, quod est in Beneventano Traiani arcu, in quo quattuor feminae coronis muralibus ornatae, municipiorum Italiae signa, parvulos ad Traianum ducentes et viri puerulos humeris gestantes exhibentur. Ante omnia commemoranda sunt monumenta aenea duo, quorum alterum Veleiatium, alterum Baebianorum tabula alimentaria appellatur. Veleiatium tabula, amplissimorum unum monumentorum antiquitatis, anno 1747 non longe a Placentia eo loco, ubi quondam Veleia oppidum fuit, e terra effossa, decem pedes et dimidium longa, quinque et dimidium alta, sexcentarum librarum pondus excedens, praeter tres primos versus per totam tabulae longitudinem porrectos septem columnis continuis sexcentos septuaginta unum versus continet. [15]) Alterum monumentum est tabula aenea admodum mutila et lacera, anno 1831 non procul Benevento reperta in ea regione, ubi Ligurum Baebianorum et Cornelianorum civitas fuit. [16]) His duobus documentis rei alimentariae satis clara lux affertur. Ostendunt enim, ita eam institutam fuisse, ut ab imperatore singulis Italiae civitatibus, prout necesse videretur, pecuniae summa concederetur, ex cuius usuris certo puerorum puellarumque inopum numero alimenta menstrua darentur, eaque pecunia, ut per omnia tempora reditus eius alimentis destinati manerent, ita collocaretur, ut municipiorum cives praedia possidentes, quibus ad qualemcunque usum pecunia opus esset, ex summa ab imperatore concessa eam, cuius indigerent, pecuniam acciperent et ob acceptam pecuniae summam fundos obligarent. In utraque tabula eiusmodi obligationes perscriptae sunt. Quod quo magis perspicuum sit, primos utriusque tabulae versus, quibus quid contineant tabulae indicatur, proponere libet. Veleiatium tabulae primi versus hi sunt:

Obligatio praediorum ob HS deciens quadraginta quattuor millia, ut ex indulgentia optimi maximique principis Imp. Caes. Nervae Traiani Aug. Germanici Dacici pueri puellaeque alimenta accipiant, legitimi n(umero) CCXLV in singulos (sc. menses) HS XVI n(umos), f(iunt) HS XLVIIXL n., legitimae n. XXXIV sing(ulae) HS XII n. f. HS. IVDCCCXCVI, spurius I HS CXLIV, [17]) spuria I HS CXX. Summa HS LII CC, quae fit usura [18]) sortis supra scribtae (sic).

---

[14]) Henzen. l. l. p. 13.

[15]) Typis descripta est tabula Veleiatium apud Wolf. l. l. p. 33—63, apud Franck. l. l. p. 381—407, ap. Haenel. Corp. Leg. p. 72—78. ap. de Lama l. l.

[16]) Nomen habent a Baebio et Cornelio consulibus, qui anno a. Ch. 181 eam ex Liguria in Samnium coloniam deduxerunt. Liv. XL, 37 sq. Typis exscripta est Baebianorum tabula et commentario instructa in Henzenii libro supra laudato; legitur etiam ap. Orelli-Henzen. n. 6664, Haenel. Corp. Leg. p. 70.

[17]) in annum. — [18]) i. c. quincunx.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sequuntur iam quadraginta sex obligationes a Veleiatibus praedia possidentibus factae. In extrema eiusdem tabulae parte alia quinque obligationum series legitur, cuius primi versus hi sunt:

Item obligatio praediorum facta per Cornelium Gallicanum [19]) ob HS
LXXII, ut ex indulgentia optimi maximique principis Imp. Caes.
Nervae Traiani Augusti Germanici pueri puellaeque alimenta accipiant,
legitimi n. XIIX in singulos HS . XVI n. fiunt HS IIICCCCVI,
legitima HS XII, fit summa utraque usura ⁻–⁻ summae s. s. [20])

Videmus igitur, priorem pecuniae summam a Traiano Veleiatibus concessam decies centena et quadraginta quattuor millia sestertiorum, vel amplius quadraginta quattuor millia thalerorum, eius summae usuram quincuncem quinquaginta duo millia et ducentos sestertios, vel circiter duo millia et septingentos viginti thaleros effecisse. Ex hac pecunia ducenti quadraginta quinque pueri legitimi singuli singulis mensibus sedecim sestertios, [21]) triginta quattuor puellae legitimae singulae in singulos menses duodecim sestertios, [22]) puer spurius unus in singulos annos centum quadraginta quattuor, puella spuria una centum et viginti sestertios [23]) accipiebant Altera summa septuaginta duorum millium sestertiorum, sive circiter trium millium et septingentorum quinquaginta thalerorum erat, sortis usura quincunx trium millium et sexcentorum sestertiorum, sive circiter centum octoginta septem thalerorum, ex qua pecunia duodeviginti pueri legitimi singuli in singulos menses sedecim, puella legitima una duodecim sestertios accipiebant. —

Baebianorum tabulae alimentariae primi versus cum supplementis Borghesii et Henzenii hi sunt:

imp. caes. NERVA TRAIANO germanicO IIII. q. ARTICVLEIO
PAETO II cos. ob liberalitatem optimi MAXIMIQ. PRINCIPIS.
OBLIGARVNT PRAEdia ex proposITO. LIGVRES . BAEBIAni.
et. corneliani. unde. EX . INDVLGENTIA . EIVS . PVERI.
PVELLAEQ. ALimenta aCCIPIANT.

Hic neque summa a Traiano concessa, neque usurae, neque puerorum puellarumque, quibus alimenta darentur, numerus, nec pecunia illis danda indicata sunt, sed ex obligationibus ipsis, quae in tabula perscriptae sunt, apparet, sortem 401800, usuram 10045 sestertiorum fuisse.

Obligationes praediorum Henzenius hoc modo factas esse docet. [24]) Si imperator municipio alicui pecuniae summam in puerorum puellarumque alimenta concedere constituerat, in eo municipio publice tabula proponebatur, in qua summa concessa obligationisque conditiones perscriptae erant: propositio ea vel proscriptio nominabatur. Deinde agrorum possessores, quibus pecunia opus erat, apud eum magistratum, qui rei alimentariae in municipio praeerat, — quaestori rei alimentariae ei nomen erat — nomina dabant vel ipsi, vel per procuratorem et praedia, quae obligare vellent, profitebantur; facta autem professione quaestor nomina possessorum, fundorum, quibus composita praedia erant, nomina, perticam,

---

[19]) v. infr. p. 8. — [20]) h. e. supra scriptae. — [21]) circiter 10 thal. in annum. — [22]) c. 7 thal. in annum. [23]) c. 6½ thal. — [24]) l. l. p. 64 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pagum, adfines, aestimationem singulorum fundorum, postremo summam possessori accipiendam albo inscribenda curabat, ita ut in tabulis alimentariis eaedem res perscriberentur, quas in libris censualibus perscribendas esse Ulpianus dicit.[25]) Albi autem obligationum unum exemplum Romam mittebatur, alterum in aere incisum in municipii tabulario manebat.[26]) Puerorum puellarumque, qui alimenta accipiebant — alimentarii ii vel Ulpiani appellabantur — nomina verisimile est aliis in tabulis aeneis incisa esse in usum quaestoris alimentorum, ut etiam Romae eorum, qui ad frumentationes admissi erant, nomina in albo aeneo incidi solebant.[27])

In singulis Italiae municipiis, ut ex compluribus monumentis apparet, rei alimentariae magistratus praeerat, cui quaestori alimentorum vel pecuniae sive arcae alimentariae nomen erat; munus eius honorificum erat et honoris causa a civitate ipsa mandari solebat; latius patebant partes muneris eius magistratus, cui procuratori alimentorum vel alimoniae nomen erat quique ab imperatore creatus totarum regionum alimentis praeerat. Ita in monumentis commemorantur procuratores alimentorum per Transpadum, Istriam et Liburniam, procuratores Bruttii, Calabriae et Apuliae.

Universae rei alimentariae praeerat summus magistratus, qui et ipse ab imperatore creabatur et Romae sedem ac domicilium habebat. Videtur ei praefecto alimentorum nomen fuisse. Eiusmodi magistratus erant Cornelius Gallicanus, cuius in tabula alimentaria Veleiatium mentio fit, et ibidem commemoratus Pomponius Bassus, cui „demandatam fuisse curam ab indulgentissimo Caes. Traiano Augusto Germanico, qua aeternitati Italiae suae consuleret“, inscriptione quadam docemur.[28]) M. Aurelio imperante sublato hoc munere administratio rei alimentariae curatoribus viarum Italiae ab Augusto institutis mandata esse videtur.[29])

Talis erat rei alimentariae in Italiae municipiis institutio. Plinium frustra de ea re consulis, qui ne verbo quidem hoc Traiani meritum commemoret. Satis copiose autem idem enarrat rationem, qua in urbe Roma inopum parentum liberis ab imperatore provisum sit.

---

25) L. 4 Dig. L, 15.

26) Veleiatium tabulam Henzenius eiusmodi album esse putat, Baebianam autem propter maiorem brevitatem pro epitome quadam habet ex publico professionum albo in usum eius, cui in Ligurum Baebianorum municipio rei alimentariae cura mandata erat, facta.

27) Non alienum videtur, nonnulla ex Veleiatium tabula obligationum exempla hoc loco afferre. Prima columnae primae obligatio haec est:

C. Volumnius Memor et Volumnia Alce per Volum. Diadumenum libertum suum professi sunt fundum Quintiacum Aurelianum collem Muletatem cum silvis qui est in Veleiate pago Ambitrebio adfinibus M. Momeio Persico Satrio Severo et pop. HS. $\overline{\text{CVIII}}$. accipere debent HS. $\overline{\text{VIIII}}$DCLXXXXII n. et fundum ss. obligare. — Alia eiusdem columnae obligatio haec est:

P. Afranius. Apthorus professus est praedia rustica HS. $\overline{\text{CDXXV}}$, accipere debet HS. $\overline{\text{XXXIIII}}$CCVI n. et obligare saltum Heluonum qui est in Veleiate pago Domitio adf. Annis fratribus et Volumnio Crescente et pop. quem professus est HS $\overline{\text{CCLXXV}}$ in HS $\overline{\text{XXV}}$, item coloniam Solicelos. pag. s. s. adf. Sulpicia Prisca et s. s. quem professus est HS $\overline{\text{XXV}}$ in HS $\overline{\text{II}}$, item saltum Attilian. pag. s. s. adf. Licinio Catone et Antonio Prisco et pop., quem professus est HS $\overline{\text{CXXV}}$ in HS $\overline{\text{VII}}$CCVI n.

28) Ap. Orell. n. 784.

29) In monumentis commemoratur „curator viarum et praefectus alimentorum Clodiae et cohaerentium, curator viarum Tiburtinae Valeriae et alimentorum. Pertinax commodo imperatore hoc munere functus erat Vid. de tota hac re Henzen. l. l. p. 33 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ibi cum a Clodii tempore pauperioribus civibus publice frumentum dari soleret, ut idem Romae, quod in reliqua Italia in pueros puellasque beneficium conferret, nihil aliud ei faciendum erat, quam ut parentum inopum liberos usitatarum frumentationum participes faceret. [30]) Idque eum fecisse Plinius testatur; dicit enim: [31]) „Paullo minus quinque millia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, adscivit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis publicis sumptibus aluntur, patriamque non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscunt..... Dent tibi, Caesar, aetatem dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt: et quanto maiorem infantium turbam iterum atque iterum videbis incidi! Augetur enim quotidie et crescit, non quia cariores parentibus liberi, sed quia principi cives. Dabis congiarium, si voles, alimenta, si voles: illi tamen propter te nascuntur". Itaque Traianus in Romanorum liberos ea liberalitate atque munificentia usus est, ut quinque millia puerorum ad frumentationes admitteret eorumque nomina in iis tabulis incidi iuberet, in quibus eorum, qui gratis frumentum accipiebant, nomina incidi solebant. [32]) Ceterum dubitari non potest, quin Plinius, si eo tempore, quo Panegyricum in senatu dixit, iam latius patuisset Traiani alimentorum per Italiam institutio, eius rei mentionem fuerit facturus; quare exigua tantum initia tunc facta fuisse verisimile est.

Traiani exemplum civitates et privati homines imitati in puerorum puellarumque inopum alimenta pecuniam donaverunt. Civitatum munificentiae in monumentis mentio fit; quam assignant in alimenta pecuniam, rei publicae pecunia alimentaria appellatur. Ex privatis praecipue Plinius commemorandus est, qui se ipse scribit [33]) quingenta millia nummum Comensi civitati in alimenta ingenuorum donasse, quemque eidem civitati trecenta millia in alimenta puerorum et puellarum testamento legasse inscriptione docemur. [34]) Ita etiam Caeliam Macrinam quandam scimus „in memoriam Macrini filii sui Tarricinensibus HS IX̄I (h. e. decies centena millia) reliquisse, ut ex reditu eius pecuniae darentur centum pueris alimenta". [35])

Si Traiani institutio alimentaria, ut ex monumentis colligi posse videtur, per totam Italiam — nam ad provincias non pertinebat — diffusa erat et similes atque Veleiatibus Liguribusque Baebianis pecuniae summae etiam ceteris Italiae civitatibus assignatae erant, ingentem profecto pecuniam in alimenta impensam esse necesse est. Fuerunt, qui computando efficerent, summam istam circiter quingenties quadragies centena millia thalerorum complexam esse. [36]) Cum vero vix fieri potuerit, ut tam ingens pecunia collocaretur — nam, ut ait Plinius, [37]) neque facile inveniebantur, qui vellent debere rei publicae, [38]) et Traianus invitos

---

[30]) Etiam in reliqua Italia pueris frumentum vel pretium, quo illud sibi compararent, datum esse docet Henzen. p. 29.

[31]) Paneg. c. 28.

[32]) Eam esse causam videri, quod, cum in reliquae Italiae monumentis pueri et magistratus alimentarii saepissime commemorentur, in nullo urbis Romae monumento eorum mentio fiat, monet Henzen. l. l. p. 22.

[33]) Epist. VII, 18. — [34]) Henzen. l. l. p. 17. — [35]) id ibid. — [36]) Wolf. l. l. Franck. p. 413.

[37]) Ep. ad Traian. 55. Gesn.

[38]) In promptu est conicere, eam ob causam tam levi fenore collocatas fuisse pecunias a Traiano concessas. Nam cum centesimae (12 %), quas Seneca (Benef. 7,10) sanguinolentas vocat, in quotidiano usu essent, Veleiates qui pecuniam acceperant, quincunces usuras (5 %), Ligures Baebiani dimidium tantum earum (2½ %) solvebant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad accipiendam pecuniam compellere non esse ex iustitia suorum temporum arbitrabatur — fortasse statuendum est, Traianum aut non omnibus Italiae municipiis suppeditasse alimenta, aut non pari ubique usum esse liberalitate. Quod autem quidam arbitrati sunt, non imperatorem, sed civitates ipsas erogasse pecuniam alimentariam, easque aucupantes principis gratiam tribuisse Traiano, quod ipsarum esset, meritum: sufficit afferre ea, quae dicit Plinius in Paneg. c. 26: „crescerent de tuo, qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia pervenirent. Recte, Caesar, quod spem Romani nominis sumptibus tuis suscipis. Et c. 27 „Quocirca nihil magis laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo. Idem confirmatur etiam verbis (c. 28): „publicis sumptibus aluntur.“ Accedit quod inscriptio exstat, [39]) in qua de alimentis Caesaris, alia, [40]) in qua de pecunia alimentaria sacra [41]) mentio fit. Itaque e fisco desumptam esse pecuniam alimentariam certum est. Quod autem Traianus post Domitiani insanas effusiones ingentem utique pecuniam, qua ad instituenda per Italiae civitates alimenta opus erat, conficere potuit, non mirabitur, qui secum reputaverit, Traianum, quem, ut Nervam patrem, privatis in rebus valde parcum et frugi, in publicis admodum liberalem ac munificum fuisse constat, non semel, sed sensim ac paulatim, prout necessitas postulare videretur et copiae suppeterent, singulis civitatibus singulas pecuniae summas assignavisse. [42]) Ceterum nec quando Traianus inceperit alimenta dare civitatibus, nec quo tempore desierit, certo definiri potest. Ex tabula Baebiana, quae quarto Traiani consulatu confecta est, iam anno p. Chr. n. 101 Liguribus Baebianis eum alimenta praestitisse apparet; Veleiatium tabulam, in qua Traianus iam Dacicus appellatur, post a. 103 factam esse necesse est; e nummis atque inscriptionibus colligi potest, sexto illum etiamtum consulem (112) eam exercuisse liberalitatem, et iure fortasse conicias, illum, quoad vixerit, ad hanc rem, quae tantopere ei cordi esset, curam suam et operam contulisse.

Iam vero quae post Traianum fuerit rei alimentariae condicio, paucis dicendum est. Imperatores quosdam, eosque meliores, scimus Traiani vestigiis ingressos esse. Ab Hadriano pecuniam alimentariam auctam esse scribit Spartianus. [43]) Post eum Antoninus Pius et M. Aurelius commemorandi sunt, quorum uterque rei alimentariae curam gessit. Illum enim pecuniam alimentariam de suo auxisse, et ex nummis compluribus et ex inscriptione monumenti apparet, quod pueri et puellae alimentarii Cuprenses montani ei erexerunt. [44]) M. Aurelium Julius Capitolinus scribit [45]) „de alimentis publicis multa prudenter invenisse.“ Praeterea curae ab eo in re alimentaria positae documentum est titulus „a pueris et puellis alimentariis Ficulensium“ ei factus. Utrumque autem imperatorem etiam in solarum puellarum commodum alimenta instituisse Julius Capitolinus testis est, qui Antoninum Pium tradit [46]) „puellas alimentarias in honorem Faustinae Faustinianas instituisse“, M. Aurelium „novas

---

[39]) Orelli — Henzen. n. 6666. — [40]) Ibid. n. 5167.

[41]) Quaecunque ad imperatores spectabant, sacra appellata esse notum est.

[42]) Quater Traianum Veleiatibus, Liguribus Baebianis bis pecuniam in alimenta largitum esse demonstravit Henzen. l. l. p. 14 sq.

[43]) Hadrian. c. 7: „Pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit.“

[44]) Henzen l. l. p. 19. — [45]) Marc. Aurel. c. 7. — [46]) Anton. P. c. 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

puellas Faustinianas instituisse in honorem uxoris mortuae.“ [47]) Cum vero L. Verus matrimonium iniret, Augusti „ob hanc coniunctionem pueros et puellas novorum nominum frumentariae perceptioni adscribi praeceperunt.“ [48]) Ex iis, qui deinde fuerunt, imperatoribus solum Alexandrum Severum legimus alimenta instituisse. Dicit enim Lampridius [49]): „Puellas et pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituit, Mammaeanas et Mammaeanos instituit.“ [50])

Quamdiu permanserit alimentaria institutio, non liquet. Hoc pro certo habendum, non sustulisse eam Pertinacem imperatorem, id quod multi hodie quoque Iulii Capitolini locum perperum interpretati arbitrantur. Capitolinus enim dicit de Pertinace: [51]) „Alimentaria etiam compendia, quae novem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata verecundia sustulit.“ Sustulisse autem Pertinax institutum non potest, quia in monumentis illius aetate multo posterioribus magistratus rei alimentariae praefecti commemorantur, hisque monumentis demonstrari potest, Diocletiani certe etiamtum tempore institutum alimentarium exstitisse. [52]) Qui ex Capitolini loco effici voluerunt, Pertinacem totam rem alimentariam sustulisse, genitivum „novem annorum“ ab omisso dativo pueris et puellis pendere arbitrantur: quod abhorrere a dicendi usu nemo non videt. Ad hoc ex nummis et inscriptionibus apparet, non novem tantum annorum, sed etiam multo minoribus natu pueris alimenta concessa esse. [53]) Dicit Capitolinus, per ovem annos alimentorum perceptionem intermissam fuisse et Pertinacem residua sustulisse, obligationes ipsas sustulisse non dicit. [54])

Sed haec hactenus. Restat ut dicendum sit, quorsum institutio alimentaria spectavisse videatur.

Ac primum quidem, si quis statuat, Traianum ceterosque, qui eum imitati sunt, imperatores ad operam suam alimentariam illa misericordia humana ductos esse, quae propria est religioni christianae, vide ne rem statuat nimium quantum ab ingenio moribusque veterum Romanorum abhorrentem. Neque enim christiana religio iam Traiani tempore ita in animos hominum penetraverat, ut plane novam in institutionibus publicis cogitandi ac sentiendi rationem posset procreare. Quamquam non defuerunt iam tum viri singuli, quorum iudicia cum doctrina christiana congruerent. [55]) Atqui si concedas, hanc mutatam sentiendi rationem

---

[47]) Marc. Aurel. c. 26. Cum M. Aurelius expeditionum adversus Avidium Cassium faceret, Faustina iunior in vico Halale subito morbo decesserat a. 173. — Faustinianarum puellarum institutio utrum ad Romam solum, an ad reliquam quoque Italiam spectaverit, incertum est. Illud verisimilius. Henzenius (l. l. p. 24) suspicatur, cum Romae ita a Traiano alimenta instituta essent, ut inter eos, qui ea acciperent, puellis locus non esset, ne deteriore Romae quam in Italiae municipiis muliebris sexus condicione uteretur, Faustinianas ab Antonino et M. Aurelio institutas esse. Ceterum ne hanc quidem institutionem quidquam habuisse nostris puellarum ludis simile nec imperatores assignavisse aedes, in quibus puellae educarentur atque erudirentur, sed Faustinianas, ut ceteras puellas puerosque alimentarios, apud parentes mansisse, hisque ad alendas filias singulis mensibus pecuniam vel frumentum datum esse, monendum est contra eos, qui hodie quoque talia iuventutem docent. cf. Henzen. p. 24. 30.

[48]) Id. ibid. c. 7. nominum Salmasius scripsit pro vulg. hominum. Fortasse Aureliani et Veriani nominati sunt. Henzen. p. 20.

[49]) Alex. Sev. c. 57. — [50]) In honorem Mammaeae matris. — [51]) Pertin. c. 9. — [52]) Henzen. l. l. p. 54.

[53]) Id. ibid. p. 31. Ab Hadriani tempore pueri usque ad duodevicesimum, puellae usque ad quartum decimum aetatis annum alimentis fruebantur. L. 14 Dig. XXXIV, 1. — [54]) Henzen. l. l. p. 49.

[55]) Cf. Peter, Geschichte Roms III, 2, 13, p. 215 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aliquid momenti ad Traiani ceterorumque, quos eum imitatos esse vidimus, imperatorum munificentiam habuisse,[56]) tamen, si reputaveris, quam late patuerit Traiani institutum quantosque in id sumptus impenderit, facere non poteris, quin egregium principem, cui imperii salus maxime curae esset, politica quadam, ut aiunt, ratione in alimentis instituendis ductum esse eaque re Italiae bene consulere voluisse suspiceris, ut verum sentire ei videantur, qui Traianum Italiae multitudinis imminutioni iam diu conspicuae, quam sapientiores viri exitio fore imperio Romano intellegebant, pro sua parte occurrere voluisse arbitrantur. Iam enim a belli Punici secundi temporibus in Italia hominum multitudinis imminutionem cognosci potuisse Polybius testis est. Dicit enim,[57]) sua aetate Romanos nequaquam tantas classes tantosque exercitus comparare posse, quantos primo Punico bello comparaverint. Ab eo tempore magis magisque minutum esse liberorum capitum numerum, complures alii scriptores testantur. Inter quos sufficit commemorare Dionem Cassium, qui Caesaris aetate magnam Italiae infrequentiam fuisse eamque ob causam eum viginti millibus inopum civium Romanorum agrum in Campania colendum dedisse memorat[58]), et Livium, qui[59]) innumerabilem in Volscorum terra olim liberorum capitum multitudinem fuisse dicit, quam suo tempore vix seminario exiguo militum relicto servitia Romana ab solitudine vindicent. Nero autem eadem re permotus est, ut legionum provincialium veteranos in Italia, praecipue in Tarentino et Antiate agro collocaret. „Non tamen, inquit Tacitus,[60]) infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant: neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant.“ Eandem ob causam Nerva agros ingenti pretio emptos pauperibus Romae civibus divisit tantumque ei rei momenti tribuit, ut ad comparandam pecuniam, quae ad emendos agros opus erat, pretiosam, qua carere posset, palatiorum suppellectilem multasque domos et praedia vendi iuberet.[61]) Cuius exemplum alii imperatores, ut Pertinax, secuti sunt.[62]) Ad minuendam autem Italiae multitudinem complures res valuerunt quas omnes enumerare longum est et ab instituto nostro alienum.[63]) Potissimae causae fuerunt matrimonii fuga et liberos educandi fastidium. Vetus in Italia malum caelibatus. Iam anno a. Ch. n. 403 Camillus et Postumius censores iis, qui caelibes ad provectiorem aetatem pervenissent, multam irrogaverunt, quae dicebatur uxorium.[64]) Q. Metellum Macedonicum Livius tradit[65]) lege constitui voluisse, ut cives matrimonia inire et liberos procreare cogerentur. Postquam ingentes in Italiam divitiae confluxerunt et luxuria atque ignavia invaserunt, corruptis utriusque sexus moribus, latius etiam malum illud serpere coepit, ita ut Augusti tempore Romae multo plures cives caelibes quam in matrimonio viventes reperirentur. Qua ex re cum maxima in rem publicam mala redundare intellegeret, Augustus

---

[56]) Antonini certe et Marci Aurelii et Alexandri Severi beneficentiae similem fuisse rationem crediderium atque eius, ad quam saepe hodie quoque homines laeta aliqua vel tristi occasione, ut filii filiaeve nuptiis vel morte cari propinqui impelluntur.

[57]) I, 64. — [58]) XLIII, 25. — [59]) Lib. VI, 12. — [60]) Annal. XIV, 27. — [61]) Dio Cass. LXVIII, 2. — [62]) Herodian. II, 4.

[63]) Docte et copiose de hac re disputavit Zumptius in dissertatione quae inscribitur: „Ueber den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum“ in „Abhandlungen der Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1840“.

[64]) Valer. Max. II, 9, 1. Fest. l. V. uxorium. — [65]) Epit. l. LIX. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

legibus occurrere pessimo mori constituit. Itaque anno a. Chr. 18. senatui legem Juliam proposuit de maritandis ordinibus, qua sanciri volebat, ne abstinere nuptiis liceret. Senatus quidem Caesari obnoxius non abnuit legem; Horatius iussu imperatoris deos precatus est, ut patrum de novae prolis feraci lege decreta prosperarent [66]) Sed repugnante populo Augustus perferre legem non potuit. Novem autem annis post mitigatis, quas lege Julia coelibatui imponi voluerat, poenis auctisque eorum, qui matrimonio ineundo augendae multitudini consulerent, praemiis legem Papiam Poppaeam pertulit, qua sancitum est, ut, senatoribus eorumque liberis et filiorum liberis exceptis, cuivis ingenuo liceret matrimonium inire cum libertinis, et poenae constitutae sunt iis, qui nuptiis abstinerent, viris amplius viginti quinque, feminis plus viginti annos natis, praemiaque numerosae prolis parentibus: in quibus praemiis praecipue ius trium liberorum commemorandum est, quo Romae trium, in reliqua Italia quattuor liberorum viventium patres ab omni onere publico immunes essent. Praeterea Augustus fecundis prole familiis pecuniam distribuit [67]) et pueros frumentationum participes fecit. Atque docemur inscriptione quadam, [68]) iam Augusti tempore Helvium quendam Atinatibus pecuniae summam legasse, ut liberis eorum ex reditu, dum in aetatem pervenirent, frumentum et postea nummum singula millia darentur.

Augusti leges non modo tollere, sed ne minuere quidem tam inveteratum malum potuisse, Tacitus, testis earum rerum locuples, affirmat Annal. III, 25, ubi haec leguntur: „Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Julias rogationes incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat, nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate.“ Quos praemia lege proposita non stimulabant ad ineunda matrimonia, facile artem effugiendi caelibum poenas inveniebant, aut subire has poenas quam coniugii in se onus suscipere malebant.

Sed non solum eo, quod tum in Italia homines caelibatum coniugio praeferebant, multitudinem imminui necesse erat, sed etiam eo, quod patribus liberorum numerum finire licebat et nec religione nec ulla lege recens natos e medio tollere vetabantur. Qua turpi licentia usi quibus aut propter rei familiaris angustias liberos educare difficile erat, aut numerosae prolis educatio molestiam praebebat, saepissime recens natos interficiebant aut exponebant. [69]) Uxori quidem viro invito abigere partum non licebat, et exsilio, quae id crimen commiserat, multari poterat: pater ad arbitrium aut tollebat infantem aut interfici vel exponi iubebat. Cautum quidem antea duodecim tabularum lege fuerat, ne cui pueros recens natos neve puellam primogenitam liceret interimere, monstroso partu excepto, quem quinque vicinorum consensu e medio tollere licebat. Quae lex quamdiu valuerit incertum est: exolevisse eam postea satis constat. Paulus iurisconsultus, qui initio tertii post Christum saeculi floruit, infantes occidendi ius libere agnoscit. [70]) Et pervulgatus nimirum et quotidianus exponendi mos erat. Testis est Tertullianus, qui Romanos ita alloquitur [71]) „Quot vultis . . . ex ipsis etiam

---

[66]) Carm. Saecul. 17 sqq. — [67]) Iis, qui e plebe regiones sibi revisenti filios filiasve approbarent, singula nummorum millia pro singulis dividebat. Octav. c. 46. — [68]) Henzen. p. 17.

[69]) Apud Graecos eadam exponendi infantes licentia erat: χυτρισμὸν vocabant, quia olla fictili ad eam rem utabantur. Discernebantur, ut apud Romanos, duae exponendi rationes: ἔκθεσις, expositio, et ἀπόθεσις abiectio. Illa, ut a praetereunte tolleretur parvulus, hac, ut ferarum praeda esset, utebantur.

[70]) L. 11. Dig. XXVIII, 2. — [71]) Apologet. c. 9. Ad nationes c. 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vobis iustissimis et severissimis in nos praesidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent? . . . In aqua spiritum extorquetis aut frigori et fami et canibus exponitis . . . Infantes editos enecantes legibus quidem prohibemini, sed nullae leges tam impune, tam secure . . . eluduntur." Quod Tacitus [72]) apud Judaeos et Germanos nefas esse dicit non educare infantes, et quod Suetonius [73]) narrat, quo die mortuus sit Germanicus, communis luctus causa recens natos infantes expositos esse, id satis declarat, Romae atque in reliqua Italia eum morem pervulgatum fuisse. Et ne Augustus quidem, quamvis augendae multitudinis studiosus, isti mori detestabili obviam ire conatus est: immo ipse infantem ex Julia nepte exsule natum agnosci alique vetuit. [74]) Saepe quibus parvulos, ut feris praedae essent, abicere crudelius videbatur, ita eos exponebant, ut a praetereunte eos sublatum iri spes esset. Non raro lanistae expositos tollebant, quos adultos gladiatorum gregi immiscerent, alios qui sustulerant parte aliqua corporis mutilatos lucri caussa ad mendicandum educabant; saepe muliebris sexus infantes — plures autem puellae quam pueri exponi solebant — a lenis sublatae ad lupanaria educabantur, quae puellis expositiis repletae erant. [75])

Exponebantur autem infantes maxime ab iis parentibus, quibus propter egestatem liberos educare difficile erat, raro a locupletibus, qui, ut educandi molestiam effugerent, aut divitiores relinquerent liberos, partum abigere malebant. Ita factum est, ut, cum nostra aetate quaterni vel quini in singula matrimonia liberi numerentur, illis temporibus in Italia quinque liberi raro invenirentur, et Germanicus, sex liberorum parens, ob numerosam prolem a veteribus celebraretur. Non alienum esse videtur commemorare, multorum eius aetatis clarorum virorum sterilia fuisse matrimonia. Ovidius enim, Martialis, Lucanus, Silius Italicus, Seneca, uterque Plinius, Suetonius, Tacitus liberis caruerunt, et quattuor deinceps imperatores, Domitianus, Nerva, Traianus, Hadrianus nullam progeniem reliquerunt. [76]) Sed illud malum quam inveteratum in Romanorum moribus fuerit, quamque difficile coercenda id patria potestate exstinguere, ex eo apparet, quod ne Constantinus quidem imperator, etsi christianae doctrinae addictus erat, legibus mori pestifero occurrere ausus est. [77]) Primus Valentinianus maior anno 375 edixit, ut infantem interimere capitale crimen esset utque in eos, qui id commisissent, vindicaretur. Sed ne Honorii quidem tempore plane sublatum fuisse infantes

---

[72]) Hist. V, 5 de Judaeis: „Augendae multitudini consulitur. Nam et necare quemquam ex agnatis nefas, animosque proelio aut suppliciis peremptorum aeternas putant. Hinc generandi amor et moriendi contemptus." Germ. 19 de Germanis: „Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare nefas habetur."

[73]) Caligul. 5. — [74]) Sueton. Octav. 65. — [75]) Lactant. Div. instit. VII, 20.

[76]) cf. Zumpt. l. l. p. 67. Döllinger, Heidenthum und Judenthum p. 717 sq.

[77]) Frequentes Constantini etiamtum tempore fuisse infantium expositiones, ex hoc edicto eius anno 315 proposito apparet: „Tabulis scripta per omnes Italiae civitates proponatur lex, quae parentum manus a parricidio arceat votumque vertat in melius, officiumque tuum haec cura perstringat, ut, si quis parens afferat sobolem, quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis nec in veste impertienda tardetur, cum educatio nascentis infantiae moras ferre non possit: ad quam rem et fiscum nostrum et rem privatam indiscreta iussimus praebere obsequia." Cod. Theodos. l. II, tit. 27 „de alimentis, quae inopes parentes de publico petere debent." Testis est etiam Lactantius, qui Constantini tempore floruit. Is enim cum indignatione quadam in eos invehitur, qui se propter facultatum angustias pluribus liberis educandis sufficere non posse praetendentes viscera sua praedam canibus obiciant." Div. instit. VI, 20.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exponendi morem, apparet ex edicto, quod is imperator anno 412 edidit, ne cui patri liceret, infantem expositum ab eo, qui sustulisset, repetere.[78])

Ex hac finiendi liberorum numerum licentia maxima in rem publicam mala redundare atque adeo paulatim Italiae vires confici et plane exhauriri necesse erat. Quod Polybius in Graecia ex more turpissimo consecutum esse dicit, idem in Italia consequi consentaneum erat. Ait enim Polybius,[79]) etsi sua aetate neque bellis neque pestilentia homines absumerentur, tamen magis magisque minui multitudinem, oppida deserta, agros deficientibus cultoribus steriles fieri. Mollitie et ignavia inertiaque homines, etiamsi in matrimonio viverent, aut nullam omnino prolem, aut unum tantum vel summum duo fortunarum suarum heredes educare velle. Si bellum aut morbus eam prolem absumat, extingui domum necesse esse. Non deos adeundos, ut malo mederentur: homines ipsos medelam afferre mutata sentiendi agendique ratione posse; quod ni faciant, legibus sanciendum, ut, quidquid nascatur, etiam educetur. Ita Polybius de Graecia. Idem sentire viros prudentes in Italia necesse erat. Quos fugere non poterat, eo, quod vulgo homines nuptiis abstinerent quodque ii, qui in matrimonio viverent, maiorem liberorum numerum suscipere atque educare nollent, Italiam brevi vastam desertamque fore nec patriam, si quando bellum ingrueret, habituram esse vires ad propulsandum periculum sufficientes. Atque cum nec leges, quibus Augustus efficere voluerat, ut matrimonia frequentarentur, eum quem speraverat effectum haberent, nec infantes exponendi pessimus mos ulla lege abrogari posse videretur, Traianus ceterique, quos eum imitatos esse supra vidimus, imperatores ita duplici malo mederi et Italiae salutem firmare conati sunt, ut inopum parentum liberos alimentis adiuvando animos et ad ineunda matrimonia et ad procreandam educandamque prolem propensos facerent. Hoc voluisse Traianum, intelligitur ex his Plinii verbis:[80]) „Recte, Caesar, quod spem Romani nominis sumptibus tuis suscipis. Nullum est enim magno principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia praemia et pares poenae cohortantur: pauperibus educandi una ratio est bonus princeps. Hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fovet, auget, amplectitur, occasum imperii, occasum rei publicae accelerat frustraque proceres, plebe neglecta, ut defectum corpore caput nutaturumque instabili pondere tuetur .... Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat et expediat.“ Quod vero, etsi multo plures tum virilis quam muliebris sexus homines erant,[81]) Traianus, ut e Veleiatium tabula cognoscitur, multo maiorem puerorum quam

---

[78]) Cod. Theodos. IX, 14 et L. 2 Cod. Iust. de infantium expositione VIII, 52.

[79]) Fragm. lib. 37 in Excerpt. Vatic. ed. Geel. p. 105 sq. *Λέγω δὲ οἷον οὕτως ἐπέσχεν ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς καροῖς τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ἀπαιδία καὶ συλλήβδην ὀλιγανθρωπία, δι' ἣν αἵ τε πόλεις ἐξηρημώθησαν καὶ ἀφορίαν εἶναι συνέβαινε, καίπερ οὔτε πολέμων συνεχῶν ἐσχηκότων ἡμᾶς, οὔτε λοιμικῶν περιστάσεων. . . . . Τῶν γὰρ ἀνθρώπων εἰς ἀλεξανεμίαν καὶ φιλαιρεμοσύνην ἔτι δὲ καὶ ῥαθυμίαν ἐκτετραμμένων καὶ μὴ βουλομένων μηδὲ ἀναγάμως τὰ γενόμενα τέκνα τρέφειν, ἀλλὰ μόλις ἓν τῶν πλείστων ἢ δύω, χάριν τοῦ πλουσίους τούτους καταλιπεῖν καὶ σπαταλῶντας θρέψαι, ταχέως ἔλαθε τὸ κακὸν αὐξηθέν. Εἰ γὰρ ἑνὸς ὄντος ἢ δυεῖν τούτων τὸν μὲν πόλεμος, τὸν δὲ νόσος ἐνστᾶσα παρείλετο, δῆλον ὡς ἀνάγκη καταλείπεσθαι τὰς οἰκήσεις ἐρήμους. Ὑπὲρ ὧν οὐδὲ χρεία παρὰ τῶν θεῶν πυνθάνεσθαι πῶς ἂν ἀπολυθείημεν τῆς τοιαύτης βλάβης· ὁ γὰρ τυχὼν τῶν ἀνθρώπων ἐρεῖ διότι μάλιστα δι' αὐτῶν μεταθέμενοι τὸν ζῆλον, εἰ δὲ μή, νόμους γράψαντες, ἵνα τρέφηται τὰ γενόμενα.*

[80]) Paneg. c. 26. — [81]) Dio Cass. LIV, 16.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

puellarum numerum alimentis adiuvari iussit, inde suspicari licet, eum alimentaria institutione praecipue virilis sexus hominum multitudini augendae operam dare atque cavere voluisse, ne quando, si essent bella gerenda, deessent, quibus legiones supplerentur. Quod spectavisse Traianum, confirmatur etiam his Plinii verbis.[82]) „Hi (ad frumentationes admissi pueri) subsidium bellorum, ornamentum pacis publicis sumptibus aluntur .... Omnes recipi, incidi iussisti, ut iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur alimentisque tuis ad stipendia pervenirent.“ Eos autem milites obsequio in imperatorem et fide ceteris omnibus praestituros esse iure sperare poterat.

[82]) Paneg. c. 28.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf